



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

23. Decimatis mentham, & anythum, & cuminum, & reliquistis quæ
graiuora sunt legis, iudicium, misericordam, & fidem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

Eodem igitur & pari honore affici desiderat. Cæterum vnde factum est ut ad Sanctorum reliquias Dæmones rugierint, torti & electi fuerint, multaque fidelibus beneficia impertita, ad Bibliorum contactum vel præsentiam nihil huiusmodi contigerit? An non manifeste docuit Dei Spiritus in Sanctorum reliquijs, ipsos Sanctos, & in Sanctis Deum rite ac debite coli: in libro vero Biblico seu chartaceo seu in membranis pretiosissimis descripto, Deū coli nolle, sed in Scripturis illis sanctis, quatenus ore magistrorum exponuntur, vel cumpia ac sancta meditatione leguntur, sanctam siam voluntatem nobis patefacere voluisse: ad doctrinam quidem & executionem eorum quæ in illis libris docentur, non ad ipsorum librorum venerationem aliquam. Nullam igitur iniuriam sacris voluminibus facimus, quod folia & chartas non veneramur. Pluris autem nos Sanctorum reliquias facere quam in cælum leuare manus, id est, quam puras & pias ad Deum orationes fundere, proterua Caluini calumnia est. Quum enim ipsa silvas reliquias sic veneramur, ut earum inspectio & contactus ad inuocandum Deū per Sanctos suos, id est, ad leuadas manus nostras in cælum directe nos moueant & excitent, insanus est qui mediū fini nos anteponere garrit. Catholici semper ita Sanctorum reliquias venerari didicerunt, ut puras ad Deū orationes facere pietatis studium multo excellentius esse semper intelligerent.

23. Decimatis mentham, & anythum, & cuminum, & reliquistis que grauiora sunt legis, iudicium, misericordiam, & fidem.

HA NC quoque criminationem Phariseis a Christo iustissime intentata, Ecclesiae Catho-

290 ANTIDOTA EVANG.
tholicæ similiter intentandam pro suo sibi sumit
imperio Caluinus. Sic(inquit) videmus hodie Papis-
tas, quum transgreduntur summae Dei præcepta, valde ar-
denter in frigidis ceremonijs satagere. Maledico conci-
ciatori breuiter respondeo. Videmus hodie Cal-
uinistas quom nulla Dei præcepta seu magna seu
parua obseruari à quoquam posse, nec eorum ob-
seruationem ad salutem quicquam facere dogma-
tizent, valde ardenter in solius fidei commenda-
tione satagere, de operibus autem legis præstan-
dis, de iudicio, misericordia, & fide, vel, vt Lucas
loquitur, de ipsa charitate Dei & proximi, adeò
nihil sollicitos esse, vt omnibus fese flagitijs ac
sceleribus doctrinæ suæ conformiter, contamina-
uerint, quod etiā suprà ex illustribus suorū homi-
nū testimonijs confirmatū dedimus. Suaues ho-
mines iustitiā legis à Catholicis fastuose exigūt:
sibi ac suis nullam legis iustitiam imponi sinunt.

29. Aedificatis sepulchra Prophetarū, & ornatis moni-
menta iustorum, & dicitis: Si fuissēmus in diebus
Patrum nostrorum, non essēmus socij eorum in sans-
guine Prophetarū. Itaque testimonio estis vobis
metipſis quia filii estis eorū qui Prophetas occide-
runt. Et vos implete mensurā Patrum vestrorum.

HIc verò Caluinus amplam sibi datam
materiam ratus, in cultū ac religionem
Catholicorum latius ac plenius excu-
rit. Iudeorum, quos Christus arguit, hypocrisy, &
impietas hæc erat, vt sepulchra quidem veterum
Prophetarum magnifice extruerent atque orna-
rent, & eorū persecutores grauiter reprehende-
rēt, ipsimet tamen eadē impietate & Dei Proph-
etas persequendi libidine laborarēt: quod in Ioan-
ne